

N. 41.

97

FRIDERICO GUILIELMO HOFFMANNO

PROFESSORI ET RECTORI GYMNASII BUDISSINI

DE SCHOLIS PUBLICIS OPTIME MERITO

MUNUS SCHOLASTICUM

PER VIGINTI QUINQUE ANNOS

SUMMO CUM HONORE PERACTUM

D. VIII. M. NOV. A. MDCCCXLVIII

GRATULATUR

ERNESTUS FRIDERICUS LEOPOLD.



LIPSIÆ

EX OFFICINA F. A. BROCKHAUSII.

FRIDERICUS GUILIELMUS HOFFMANNUS

BEI SCHULIS PUBLICIS OPTIME SERTUS

IN VITIS SCHOLASTICIS

PER VIGINTI QUINQUE ANNOS

STUDIO CUM HONORE PRAECIPUE

IN VITIS SCHOLASTICIS

ERHARTUS FRIDERICUS GEORGIUS

LIBRARIUS

IN VITIS SCHOLASTICIS

Coelicolas nuper scandisse ad caerula templa,
 Fama est, et magno se sociasse Patri,
 Quae decreta deum mortalia saecula gubernent,
 Quaerenti, et gentes quo sua iussa ferant.
 Pierides primas via lactea ducit euntes,
 Cantu se numeris insinuante pedum.
 Cum Iunone Ceres sata flavescentia linquit,
 Messibus ut largis spicea sarta gerat.
 Nec Veneris gressus Amathusia thura morantur,
 Quosve modo ingenua luserit arte iocos.

Mars quoque per terras creperi certamina belli
 Mittit et Eoas Hesperiasque faces,
 Ut sua, dum turbas glomeratas sternit Enyo,
 Fortia coelestes perferat arma domos.
 Et quem multa ratis tuta ornat merce per undas,
 Sedibus hibernis rex venit aequoreus.
 Aetnaeusque faber, miro molimine doctus
 Per stratas ferro se rapuisse vias,
 Daedaleas et opes vario elicuisse metallo,
 Gressibus obliquis claudicat ante deos.
 Ridet Mercurius. Quid enim? non divitis auri
 Huc illuc plenas fertque refertque manus?
 Sic alios urgent alii per limina coeli,
 Atque Iovem circum plena corona premit.
 Mutua verba dari iam cura est quolibet ore,
 Et suus ex merito quemque tuetur honos.
 En, venit a dextra Phoebi Tritonia Virgo,
 Candidior socio candidiore comes.
 Haec nova, ait roseis subridens grata labellis,
 Cura suae laudis pectora diva tenet?

Vos decuit mortale genus per lubrica fata,

Me per Pierias ducere ad astra vias.

Hinc qui nostra legant pressis vestigia signis,

Accipite, et divum praemia iusta ferant.

Non flexere genu, Titan quos spectat uterque:

Tutelam fugiunt barbara regna meam.

Non serit Urbs aeterna oleas mihi, vixque reposcunt

Cecropidae e tenebris nomina clara patrum.

Sed Germana fides stat avita, meaeque Camenae

Saxoniam cultus non temeratus habet.

Hic, pater, hic multus nostra virtute sacerdos

Splendet, et ornatis iam decus adde novum.

En, ubi Muldanum regali munere fulget,

Turribus et priscis alta Budissa nitet,

Egregius doctor meruit perducere quinque

Iam lustris dociles ad mea castra choros.

SPES dedit ipsa VIRO nomen, nec nomine fausto

Ipsa destituit SPES superata VIRO.

Ille pias palmas ad sanctum Heliconae tetendit,

Cursabat patrios cum tener ante lares.

Ille tenax voti subiit Phoebæia tecta,

Plurima cum pueri Musa regebat iter.

Ille ratis votis incendit Apollinis aras,

Laudabat iuvenem cum deus ipse suum.

Evenere, preces tulerant quascunque parentes,

Cum nato visus lætior ire dies.

Ergo ad Palladias penetravit strenuus arces,

Et sua Castaliis ora rigavit aquis,

Et gratus docuit, nostri memor usque laboris,

Artibus in priscis numina nostra coli.

Sic Graiæ gentis monumenta æterna recludens

E sancta suasit mente coorta deum;

Sic celebrans fortes animosoque ore Quirites,

Divini iuvenes pectoris esse dedit.

Hoc duce Maeonides pulchri sublimior auctor,

Dardanidum et cecinit fortior arma Maro;

Seu socco incessit Polyhymnia, sive cothurno,

Lætior aptavit splendidiorque modos;

Increpuit Flaccus generosior, ardua fantem

Qua cithara ad sese vadere Pindus amet;

Doctior Arpinas sonuitque Philippicus horror,

Quam patriae culta voce praeesse iuuet.

Nec praeclara, quibus Germanica terra superbit,

Est passus turpem nomina ferre situm,

Ut chartae patrio distinctae flore niterent,

Nativusque daret verba canora lepor.

At non est, monuit, pura sine mente Minerva,

Virtutis nunquam nescia Musa placet.

Hinc ubi suscepto iuvenes moderamine rexit,

Ac male tentarunt ius violare sacrum :

Quos ego! ter tonuit: dederunt se Euroque Notoque

Slavica barbaries Sarmaticusque furor.

Nec vitiante auro nec nobilitate potentes

Fregerunt animum nec minitante dolo.

Fas, pater, est, tanto, fas est coelestibus ipsis

E templis solvi praemia digna viro.

Atropos esto diu carae procul invida vitae,

Floreat ut longo tempore partus honos :

Per laetosque dies Hymenaei vincla manento,

Gaudeat ut natis canus uterque parens.

Quo manifesta tamen sciat ille deum fore fata;

Exemplo prisco pignora certa gerat.

Sic dea fata comae sanctam deponit olivam,

Cui iungit laurum Cynthus, ante Iovem.

At superum magnis assensibus horret Olympus:

Tanto, conclamant, praemia ferte viro!

Nec mora, descendunt dictorum nuncia Clio

Et gemini testis muneris Uraniae.

Dixerunt Musae; bibimus nos aure relata:

Crede, piis votis annuet ipse Deus.

